



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Quæ Meditationes Complectitur circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

55. De Parabola Nineæ agricolis elocatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

eius recipiant, plurimi sunt peccatores, qui huic vocationi resistunt; pauci verò iusti qui ei consentientes eliguntur, vt ad cœlum perueniant: ita etiã inter ipsos iustos, qui vocantur ad vitam perfectam, multi huic vocationi resistunt, viuentes in quadam tepiditate; & quadam mediocritate contenti; pauci verò sunt electi & perfecti, quia semper quod est pretiosum, est raram. O Deus infinite, qui omnes vocas, & vt perfectionem sequantur, inuitas: supplico tuæ Maiestati, vt electorum numerum augeas, vt multi sint perfecti, sicut tu es perfectus. Fac etiam Domine, vt vnus ego sim horum, respondens perfectioni meæ vocationis, vt in me & per me glorificeris in secula. Amen.

MEDITATIO LV.
DE PARABOLA
vineæ.

PUNCTVM I.

a Matt. 21.
33.
a Marc. 12. 1
a Luc. 20
a Isaia 5. 2.



OMO erat a Paterfamilias, qui plantauit vineam, & se-
nem circumdedit ei, & fodit
in ea torcular, & adificauit
turrim, & locauit eam agri-
colis: & peregrè profectus
est.

I.

PERPENDENDA primùm est suprema
Dei prouidentia erga vineam Ecclesiæ suæ:

quæ

quæ in tribus præcipuè elucet, quæ *Sepe*, *Torculari*, & *Turri* significantur. *SEPS* est *Prote-ctio* b *Angelorum*, qui illam *circundant*, & à *Dæmonibus* defendunt; prohibentes *feras*, hoc est eius *persecutores*, ne eam *conculcent*: & c *singulos* tanta *vigilantia* tuentur, atque si vnus solus esset *vinea*. Est autem multò *fortior seps*, ipsiusmet *Dei* *prote-ctio*: quia d *Dominus in circuitu populi sui*, protegens eum *subsidio inspirationum suarum*: *sepiuit* enim illum *præceptis*; *præmuniuit* *promissis* *magnorum præmiorum*, iis qui illa *custodierint*; & *horrendarum pœnarum* *minis* in eos, qui illa *transgredientur*.

b *Psal.* 31. 7.

10.

c *Psal.* 90. 11.d *Psal.* 124.

TORCVLAR est multitudo *Sacramentorum* & *Sacrificiorum*, in quibus colligitur *sanguis IESV Christi* *calcatus* & *expressus* *trabe crucis*; cuius *virtute* *communicatur* *venia peccatorum*; & *distribuitur* *vinum* *charitatis*: inter omnia autem *primas* *tenet* *sanctissimum Sacramentum* & *sacrificium* *Altaris*, in quo *CHRISTVS* *Dominus* *ipsum Corpus* *suum* & *Sanguinem* *reposuit*, ut nos *vino* *sui amoris* *inebriaret*. *TORCVLAR* est etiã *Lex* *diuina* *cum* *suis* *præceptis* & *con-* *ciliis* *perfectionis*; e *cuius* *finis*, ut ait *Aposto-* *lus*, *est purum* *charitatis* *vinum*, *depuratum* à *rerum* *terrenarum* *folliculis*, & à *culpis* *om-* *nibus* *defœcatum*; *trabe* *mortificationis* & *pœnitentiæ*, & *pondere* *humiliationis* & *o-* *bedientiæ* *expressum*.

e *1. Tim.* 1. 5.

TVRRIS est specialis magni nostri Dei *pro-*
uidentia, qua futura præuenit in bonū Eccle-
 siæ suæ, & singularum animarū: *Templum* item
 & orationis *domus*, in qua inuocatur f. *nomen*
 Domini q̄ est *turris fortissima* ad nostrā defen-
 sionē, multitudo quoque Prælatorū & Magi-
 strorū, qui speculatorū instar vineę inuigilāt,
 ne aut fera dilanient, aut vulpes destruāt. De-
 niq̄ue TVRRIS est alta & suprema *doctrina* sa-
 cra *Scripturæ & Euangeliorū*, qua eleuatur cor
 nostrum à terrenis ad cœlestia: habetq̄; sicut
Turris David, quæ adificata est cum propugna-
culis, ex qua mille clypei pendēt, & omnis arma-
tura fortiū, arma offensiuæ & defensiuæ mag-
 norū documentorum, & subsidiorū aduersus
 tentamenta & molestias hostiū nostrorū, tam
 occultorum, quàm manifestorum. O Paterfa-
 milias supreme, gratias tibi ago pro benefi-
 ciis quæ g. *vineæ huic confers, quam plantauit*
dexteratua: & siquidem me in illa colloca-
 sti, accipe etiā sub tua protectione & tutela;
 inebria me vino amoris tui; lætifica in domo
 orationis tuæ; gubernā per tuos ministros; &
 lumen mihi communica, quo fructum ex tua
 doctrina ita hauriam, vt perfectionem, ad
 quam illa dirigitur, obtineam.

II

DE INDE considerandum, quo pacto Deus
 Dominus noster hāc vineam locauit agricolis
 & conductoribus, qui sūt homines; non ven-
 ditione sed locatione. ipse enim retinet sibi
 dominium: exigit autem à nobis, vt ita illam
 colamus, vt benedictionis fructum adferat:

quif.

quisque autem partem, quæ sibi contingit, hoc est propriam animam, & animas illorum, qui ipsi sunt commissi, colere debet.

TRADITA autem vinea, peregrè profectus est: vt significet se in hoc negotio gerere tanquam absentem, libertati nostræ nos relinquens, nulla vi adhibita, atque si nec nos videret: quamuis re ipsa omnia videat, & sit vbi que. In his considerationibus mecum ipse colloquens dicam: stude esse liberalis in Deum sicut ipse est in te: Et quandoquidem Deus te fecit tam pretiosæ vineæ conductorem; redde fructus copiosos, vtendo in eum finem Sepe, Torculari, & Turri, quæ in ea sunt. Et si quidem ipse locator quasi absentem se facit, vt tuam experiatur fidelitatem: tu ita fideliter illi seruias, atque si præsentem semper cerneres; vt sic peruenias ad eum videntum, sicut habes in votis. O Deus liberalissime, qui huius vineæ proventus à me exigis, non ob tuum, sed ob meum commodum: concede mihi abundantes proferre fructus, non ad meam, sed ad tuam gloriam, in secula Amen.

PUNCTVM II.

CVM autem tempus fructuum appropin- a Matt. 31.
quasset, misit seruos suos ad agricolas, vt 34.
acciperent fructus eius. Et agricola ap-
prehensit seruis eius, alium ceciderunt, alium
occiderunt, alium verò lapidauerant. Iterum
misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt

Qq 5

illis

illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum dicens: verebuntur filium meum. Agricola autem videntes filium, dixerunt intra se, Hic est haeres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

I.

CONSIDERANDA hîc est suavis Dei providentia in hosce conductores: qua eos variis mediis ad bonum impellebat; & contra illorum detestanda in ipsum Deum malitia, qua omnia illa media repulerunt. Præmittendum est autem, tempus fructuum esse illud totum, quo mortalis hæc vita durat: nam post mundi finem, & cuiusque mortem, non est amplius tēpus reddendi fructus, quamobrem dicit Apost. b *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes*, nostras videlicet animas & proximorum nostrorum: elapso enim hoc tempore nullum suppetet nobis remedium.

c Gal. 6. 18.

II.

Hoc præmissio, perpendenda est eiusdem Patris familias Dei infinita charitas, qui semper & omni tempore hanc curam ostendit, mittendo Patriarchas, Prophetas, & Prædicatores; qui agricolas illos conductores exhortarentur ad laborandum in bonum animarum suarū: & licet homines rebelles fuerint ad eò, & impudentes, vt huiusmodi Prophetas & Prædicatores grauer exceperint, & occiderint; ipse ex infinita sua benignitate, pro igne, quo tales homicidas incendere po-

tul-

tuisset, dedit illis Filium suum vnigenitum, hominem factum: vt per seipsum veniens idem illis prædicaret, & ad idem exhortaretur, ad quod alii Prophetæ: Adeò tamen iniquitas cõductorum illius temporis creuit, vt (ò inauditum facinus) ausi fuerint vnigenitum Patris familias filium extra vineam, quæ ipse erat eiicere & occidere, tradentes eum Gentibus; à quibus tanquam Agnus mansuetus passus est se comprehendi, flagellari & crucifigi extra ciuitatem Ierusalem: qui suo pretioso sanguine irrigare voluit vineam, vt copiosos fructus proferret. O Pater æternæ, quam tibi vtilitatem fructus afferunt huius vineæ, vt ad illos vrgendos, proprium filium mitteres, benè conscius quam malè esset à conductoribus excipiendus? O Fili Dei viui, cur adeò desperis hanc vineam vt velis pro illa mori? O amorem filii Dei excellentissimum! nunc Domine video, quàm verè dixeris: *c quid est quod debui ultra facere vinea mea, & non feci ei?* verè Domine summum fecisti, quod facere poteras; dum factus es homo, & mortuus pro homine. Sed homo ingratus & rebellis non potuit econtrà magis detestandum facinus admittere, quàm te vitâ priuare, tuæque prædicationi resistens, bona, quæ illi locaueras, sibi vt propria vsurpare, Sed hoc totum me, vt te amem, inuitat; & vt laborem, quod fructum, quem tibi debeo, reddam:

c Isa. 5. 4.

& fa-

& faciam ego summum quod potero osequi
tui causâ, sicut tu fecisti quod summum pote-
ras meæ ut iustitiam intuitu.

III.

d. 1. *Thef. 5.*
19.

e *Heb. 6. 6.*

MOX perpendam continuatam Dei solici-
tudinē in me mouendo per prædicatores, spi-
ritûs Magistros, & alios suos inuisibiles ser-
uos, qui sunt eius inspirationes, ut vineæ ani-
mæ meæ curam diligentem habeam: quamuis
ego adeo sim improbus, ut sæpè illos grauitè
excipiam; & d *extinguam spiritum*, qui ad bo-
num me incitat; & conscientix dictamen cal-
cem, quod me reprehendit, quancuncque
aliquid mali facio & e *rursus crucifigo mihi-*
met ipsi filium Dei: eundem expellens ex corde
meo, ut peccato aditum præbeam. Et quamuis
eiusque æterni patris bonitas sit progressa, ut
voluerit proprium filium in medio vineæ sue
Ecclesiæ remanere, in sanctissimo altaris sa-
cramento, ut huiusmodi eius præsentix ra-
tionem habens, me ad laborandum, & ani-
mam meam colendam animarem, nec hoc ra-
men satis fuit, ut id ego exequerer. O rebellē
duritiem, ô ingratam rebellionem, & ingra-
titudinem cordis mei detestandam! cur tot
fauoribus Dei non mollescis ad seruiendum,
ut par est, huic Domino, à quo accipis tanta
bona adiuua me Deus gratia tua, ut ex nunc
vitam nouam incipiam.

PUNCTVM III.

a *Matt. 21.*
40.

ABSOLUTA Parabola dixit Christus ad
Pharisæos a *cum ergo venerit Dominus*

vinca

vineæ, quid faciet agricolis illi? aiunt illi, malos male perdet: & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant illi fructum temporibus suis. Dixit illis IESVS, ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti faciēti fructus eius.

PERPENDENDVM hic primò est, quã sit iustus Deus in iudicijs suis! siquidem ipsimet eius inimici sententiam contra se proferunt, quam ipse protulisset. quam verò sit detestanda hominis malitia contra Deum! siquidem idem ipse, qui eam habet, in tertio aliquo positam reprobatur & condemnat, eandem contra se ferens sententiam, quam Deus iustissimè protulisset, vt pro meritis castigaret. O Pater misericordiæ & iustissime Iudex, moderare iustam iram tuam magnâ misericordiâ tuâ: & si huiusmodi Parabolis, nos velis convincere; ne id, quæso, sit ad nos condemnâdos sicut istos Pharisæos; sed vt culpas nostras agnoscentes, sicut Dauid, pœnitentiam pro illis faciamus.

DEINDE perpendenda est horrenda illa, licet iustissima pœna, quam Christus minatus est Iudæis: *auferetur à vobis regnum Dei,* 2. Reg. 12. 13 quod idem est, atque ipsa vinea cum sepe, torculari, & turri: illos ob suam pertinaciam deserens, quò facilè destruerētur. Abstulit illis ius, quod habebant ad sacramenta & sacrificia, ad sacros libros & leges regni Messia: omnia hæc transferens ad Gentes, ex quibus suam collegit Ecclesiam. Quare anima mea,

expe-

I.

II.

experimentum cape in capite alieno, priusquam ultio veniat super tuum: attende, quod Deus eos deserat, qui ipsum relinquunt. Et nouit bene, fidem suam ab vno regno in alterum, & regna ipsa & dignitates ab vno homine in alium transferre; auferendo illa ab eo qui habet, propter eius culpam; & alios in eius locum substituendo: & si aliquis deficit in fide, aut religione quam est professus, vocabit innumeros alios, qui in ea perseverantes fructus eius proferant. *b Tene igitur quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

b Apoc. 3. 11

MEDITATIO LVI.
DE PARABOLIS AD NUP-
TIAS, & ad coenam inui-
tatis.



AE duę Parabolę simul pro eadem meditatione assumi possunt, ob magnam affinitatem quam inter se habent, & quia ad eundem finem dirigi possunt.

PUNCTVM I.

a Mat. 22. 2
a Luc. 14. 16

SIMILE est a Regnum calorum homini Re-
gi, qui fecit nuptias filio suo, & vocauit
multos ad eas.

I.

CONSIDERANDVM primò, quod Pa-
ter æternus Rex cæli & terrę sola sua bonita-
te &